208.5
D923L

CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

P. Dr. WILLIBRORDUS LAMPEN, O. F. M.

B. IOANNES DUNS SCOTUS

ET

SANCTA SEDES



AD CLARAS AQUAS, FLORENTIAE
FIRENZE-QUARACCHI
EX TYPOGRAPHIA COLLEGII S. BONAVENTURAE
1929.

26634

Ex parte Ordinis nihil obstat quominus imprimatur.

Romae, e Coll. S. Antonii, die 7 Iunii 1929.

Fr. Bonaventura Marrani, O. F. M.
Minister Glis.

Imprimatur.

Florentiae, die 13 Iunii 1929.

† Ioachim Bonardi, *Vic. Gen.*

I.

De B. Duns Scoti erga S. Sedem reverentia.

Quae Duns Scotus de S. Sede et Summo Pontifice docuerit, tam cl. Reinholdus Seeberg [1] quam Bernardus Landry [2] ex spurio tractatu *De Perfectione Statuum* hauserunt. P. Ephrem Longpré, O. F. M., abunde demonstravit [3] hunc tractatum, a Waddingo iam reprobatum, inter Scoti opera non admittendum, quia scriptum post bullam Ioannis XXII *Ad conditorem* anni 1322, ideoque post mortem Doctoris Subtilis (1308).

Alibi ergo quaerendum de vera Scoti sententia circa Ecclesiam et Summum Pontificem. Videmus autem eum in opere suo authentico, maxime in *Reportata Parisiensia* et Commentario suo *Oxoniensi*, semper loqui secundum

---

[1] *Die Theologie des Johannes Duns Scotus,* Leipzig 1900, 469 ff.

[2] *Duns Scot,* Paris 1922, 245 ss.

[3] *La philosophie du B. Duns Scot,* Paris 1924, 20 s.

fidem catholicam semperque maxima cum reverentia erga Caput Ecclesiae. Ut pauca de multis hic referamus, allegari licet quaedam exempla.

Sic v. g. de potestate Summi Pontificis legimus [1]: « ... licet Papa non possit dispensare contra ius naturae vel divinum, quia sua potestas est utroque illo iure inferior, tamen *cum sit successor Petri, Principis Apostolorum, habens eamdem potestatem, quam et Petrus,* ... potest Dominus Papa ex plenitudine potestatis suae dispensare contra statuta Apostolorum quorumcumque, dum tamen efficaciam inde tantum habeant, quia ab eis statuta sunt, et non a iure naturae vel divino ».

Eadem docet ubi de simonia [2] tractat Scotus. « Simonia », ait, « universaliter facit hominem irregularem, si scienter aliquis emat Ordinem vel vendat. Et in illa irregularitate solus Papa dispensat; qui nunquam vel raro in simonia Ordinis dispensat ... licet quandoque in simonia beneficii dispenset, et *hoc facit rationabiliter* ». Similiter de aliis casibus declarat: « solus Dominus Papa » potest dispensare et addit rationem paulo infra: « *Dominus Papa, qui habet iurisdictionem in omnes* ». Ipse est « *Iuris Conditor* » et non nisi Papa « potest super

(1) *Reportata,* IV, dist. 33, qu. 2 (ed. Vivès XXIV, 439).
(2) L. c., dist. 25, qu. 1 (XXIV, 361 sq.).

integram restitutionem graduum vel Ordinum Ecclesiae ».

Propter hanc universalitatem potestatis Summi Pontificis « forte etiam graviter peccant Graeci, qui non se conformant *Ecclesiae Petri, maxime cum hic habeatur fundamentum solidum* » (1).

Solius Papae etiam est excludere aliquem a communione omnium fidelium. Nemo hoc potest, « nisi hoc fiat auctoritate eius, cui omnes subsint. Nam haec excommunicatio est prohibitio negativa, excludens communionem eius cum omni fideli, et e converso cuiuslibet fidelis ad eum; igitur auctoritate eius tantum potest haec exclusio et prohibitio a communione omnium fidelium fieri, et e converso, *cui omnes fideles sunt subditi* in se vel in *suo Vicario*, cui hoc commiserit; *talis est unus in Ecclesia tantum, ut primus Hierarcha:* igitur sibi tantum ex iure competit talis auctoritas, et non aliis inferioribus Praelatis, nisi eis committatur » (2).

Addimus tandem Scotum insinuare magisterium summum et infallibilitatem Romani Pontificis, dicendo: « Sentiendum est de sacramentis Ecclesiae, sicut sentit Romana ecclesia » (3), et alibi: « De sacramentis Ecclesiae non est

(1) *Oxon.*, IV, dist. 11, qu. 6 (XVII, 485).

(2) *Report.*, IV, dist. 19 (XVII, 301).

(3) *Oxon.*, IV, dist. 6, qu. 9 (XVI, 604); *Report.*, l. c., qu. 8 (XXIII, 646).

aliter sentiendum quam sentit ecclesia Romana » (1).

Quibus aliisque perpensis, nemo non videt asseclas Henrici VIII, regis Angliae, iure meritoque Scotum ut defensorem Summi Pontificis Romani habuisse eumque recte appellasse « *Herculem papistarum* » (2), quod semper Doctori Subtili eiusque Ordini titulus erit gloriosus non minus quam martyrium S. Nicolai Gorcomiensis eiusque sociorum qui pro primatu Summi Pontificis sanguinem suum fuderunt.

Sed et Scotus plura pro hoc primatu passus est, uti nuper demonstrarunt P. Andreas Callebaut (3) et P. Ephrem Longpré (4), exponentes politicam Philippi Pulchri contra Romanum Pontificem, cui Scotus fideliter adhaesit. Quod paucis illustrabimus antequam proprium thema de benevolentia S. Sedis erga Scotum aggredimur.

Exeunte saeculo XIII relationes inter S. Sedem et gubernium Galliae iam haud amicae erant(5). Variis de causis potestas civilis nunc hic, nunc illic, ecclesiasticam potestatem oppugnabat.

(1) *Oxon.*, IV, dist. 26 (XIX, 167).

(2) Ioh. Bale, *Illustrium Maioris Brittanniae scriptorum summarium*, IV (Basileae 1559) 362.

(3) *Archivum Franc. Hist.*, 21 (1928) 3-36.

(4) *La France Franciscaine*, 11 (1928) 137-162.

(5) Cf. P. Gratien, O. M. Cap., *Histoire de la Fondation et de l'Évolution de l'Ordre des Frères Mineurs au XIII^e siècle*, Paris 1928, 632 ss.

Tribunalia episcoporum, quae iure quandoque se iudicibus laicis opponebant, asseclis regiis odio fuerunt, quod maxime crescebat, quando episcopi uti S. Gualterus Brugensis, Pictaviensis antistes, inflexibiles se ostendebant. Papa contra exactiones regis protestante per bullam *Clericis laicos* (25 febr. 1296), nobilibus, praecipue ex familia Colonna in Galliam et Siciliam exulatis, instigantibus, discordia Regem inter et S. Sedem culmen attigit. Rumor ad aures Philippi regis pervenit Pontificem convocasse Concilium ubi de gubernio Galliae ageretur. Tunc rex Ordines Generales die 10 aprilis 1302 constituit convenire, ubi consiliarii eius et asseclae vehementer in Bonifatium insurgebant, quem accusabant, falsa quoque bulla prolata, quasi iura regia invasisset. Romae eodem anno mense augusto consistorium factum est, legatis praesentibus gallicis, qui regem suum invitarent ut mutaret consilium et pacem cum Romano Pontifice iniret. Potestas vero Ecclesiae supra temporalem ibi denuo exposita fuit praesertim a Cardinale Francescano Matthaeo ab Aquasparta. Concilio Romae habito mense octobri, exiit die 18 novembris 1302 bulla *Unam sanctam* qua Papae primatus dogmatice circumscribitur. Reconciliatio regem inter et Pontificem ex nunc chimaera videbatur. Initio mensis martii decreverunt asseclae regis se manu forti Romano Pontifice potituros, duce Gulielmo

Nogaret. Opinio autem publica in Gallia instruenda erat ideoque convocati sunt nobiles et dignitarii ecclesiastici ad palatium regis, ubi die 12 martii, dein 13 et 14 iunii, accusationes contra Bonifatium praelectae sunt et appellatum ad futurum Concilium Generale.

Die autem nativitatis S. Ioannis Baptistae uterque clerus populusque Parisiensis in horto domus regis convenerunt, uti narrat chronista illius temporis [1], ibique magister Bertaldus de S. Dionysio fecit sermonem in gallico ipsi diei competentem. « Post sermonem recitati sunt coram omnibus quidam casus nefarii contra papam Bonifatium et enormes, utpote de haeresi, de revelatione confessionum, de homicidio manifesto et de simonia. Item per signa plura ostensum est ipsum habere odio nationem Francorum. Et ob hoc ibidem rex baronesque et praelati, vulgo ei unanimiter consentiente, in appellationem seu provocationem contra ipsum, qui se papam esse dicebat, ad cardinales vel ad futurum summum pontificem proruperunt ».

Minores quoque Conventus Parisiensis et Praedicatores conventus S. Iacobi vi coacti illi adunationi assistebant maiorque eorum pars appellationi contra Papam adhaerebat. Sequentibus autem diebus religiosi a relativis Superioribus in capitulum convocati sunt et multi appellationi

[1] Cf. *La Fr. Fr.*, l. c., 141, nota 4.

subscripserunt, ex Fratribus Praedicatoribus v. g. non minus 132. Universitas Parisiensis iam die 21 iunii, sicut et capitulum cathedralis, ad Concilium appellaverat.

Die autem 25 iunii hora tertia Fratres Minores conventus Parisiensis in capitulum convenerunt et in praesentia notarii regii Ioannis de Provins aliisque officialibus multi regi adhaeserunt appellando ad Concilium futurum. Die autem sequenti rex misit in conventum Fratrum quosdam suos officiales, inter quos et tabelliones, qui singulos fratres interrogarent, num vellent assentiri regis propositis necne. Huius interrogatorii exitus a tabellione registratus invenitur in quadam rotula, nuper a P. Longpré detecta in Archivo Nationali Parisiensi, ubi signatur J. 488, n° 595 (1). Inscribitur autem hoc documentum sic: « Haec sunt fratrum minorum nomina consensum cuiuslibet singularis exprimentia ». Tunc sequuntur « nomina appellationi seu provocationi domini regis adhaerentium et consentientium » et sunt numero 68. Deinde leguntur « nomina appellationi seu provocationi dissentientium » et sunt 87, maiori ex parte aliarum nationum. Inter hos qui Papae fidem servarunt, eminet noster Doctor Subtilis, ibi appellatus « Fr. Iohannes Scotus ». Sic defensor Immaculatae non solum

(1) L. c., 149 s.

docuit reverentiam et obedientiam « Summo Hierarchae » debitam, sed quod docuit et fecit. Iam docere, quemlibet christianum obedire teneri Christi Vicario, illis temporibus non absque periculo videbatur. Scotus nihilominus in schola Parisiensi allegat auctoritatem Papae et nominatim Bonifatii [1]: « ... praecipit Papa quod Clerici Episcoporum in visitationibus nihil recipiant in munusculis a personis visitatis, sed omnia restituantur integre. Et *Dominus Bonifatius,* in VI libro *Extra*, *De visitat.*, eodem titulo, iubet reddi duplum infra mensem », etc. Sic loqui ausus est Duns Scotus, quando secundum *Chronicon regum Francorum* [2] « specialiter contra papam Bonifacium intentio ferebatur » et fiebat « rumor magnus in toto regno, turbatio cordium et confusio rerum. Multi autem qui videbantur esse columnae Ecclesiae metu aut odio aut quocumque motu alio sunt concussi et pauci inventi sunt qui constanter steterunt in aperto », sicut Scotus noster. Nam sustinuit Summum Pontificem esse Christi vicarium, successorem Petri et caput totius Ecclesiae, « cui tenetur obedire quilibet christianus ».

Non est mirandum Doctorem nostrum propter suam erga Bonifatium fidelitatem subiisse illam

[1] *Report.*, dist. 15, qu. 4 (XXIV, 237).

[2] *Historiens des Gaules et de la France,* XXI, 713, apud Longpré, l. c., 158, nota 2.

poenam cui alii iam subiecerant: scil. quod infra triduum proximum exiret totaliter Franciae regnum sciens « quod sub vel in protectione regia ex tunc non esset ».

Quo Scotus exul abierit non certo constat (1) neque hic discutiendum suscipimus, sed sive Bononiam, sive Coloniam sive patriam aut provinciam petierit, revera propter Papam in exilio manebat usque ad tempus quo Parisius redire potuit, ut expositionem Sententiarum sub magistro suo Alano continuaret, aestatis principio anni 1304.

Ex paucis hisce dictis liquet quomodo summa reverentia erga Summum Pontificem Scotus verbis et factis affectus fuerit. Gloria sua haec est, sicut gloria Ordinis semper erit, quod Summi Pontifices doctrinam erga scotisticam saepe saepius benevolentiam suam demonstrarunt, uti nunc probare intendimus.

II.

De S. Sedis erga B. Duns Scotum benevolentia.

Scoto pleno ex animo Ecclesiae adhaerente, mirum non est Romanos Pontifices saepius benevolentiam doctrinam erga scotisticam expressisse. Quod tamen moderno hoc tempore apud

(1) Cf. A. Callebaut, *La Fr. Fr.*, 9 (1926) 312 ss.

aliquos in oblivionem venisse facile unusquisque observat. Quapropter non absque utilitate duximus plures Summorum Pontificum approbationes doctrinae scotisticae in unum colligere ita ut cuilibet fas sit iudicare, utrum illam doctrinam tuto sequi possimus necne.

Magni doctrinam habemus S. Thomae, qua primis a studiis theologicis imbuti sumus, ducentibus magistris nomine et dignitate claris. In quaestionibus tamen liberis fas esto illa frui libertate qua Creator intellectus nostri Sanctaque Mater Ecclesia nos exornarunt. Quae ore iam regnantis gloriose Pontificis Pii Papae XI declaravit (1): « Ne quid eo amplius alii ab aliis exigant, quam quod ab omnibus exigit omnium magistra et mater Ecclesia: neque enim in iis rebus, de quibus in scholis catholicis inter melioris notae auctores in contrarias partes disputari solet, quisquam prohibendus est eam sequi sententiam quae sibi verisimilior videatur ».

Quam libertatem docendi Fratres Minores semper sibi vindicabant, quamvis Constitutiones et Capitula Generalia aliquem vel aliquos ex Doctoribus insignibus specialius commendassent. Libere et libenter maior pars Minorum secuta est doctrinam S. Augustini, ut illam intellexerant Alexander Halensis, S. Bonaventura,

(1) Encycl. *Studiorum Ducem*, 29 iunii 1923. *Acta Ordinis Fratrum Minorum*, 42 (1923) 217.

Richardus de Mediavilla, B. Ioannes Duns Scotus et alii. S. Thomam alii propugnabant, non tamen iurantes in verba magistri. « Prima parte saeculi XVII quaedam congregationes generales et capitula », uti observat cl. Holzapfel [1], « conata sunt Scotum principem studiorum ordinis constituere. Quam parum autem haec decreta profecerint, iam ex eo patet, quod etiam durante saeculo XVII multi Observantes inveniuntur, qui in libris publice editis S. Bonaventuram vel S. Thomam Aquinatem praetulerunt ». Excepto hoc brevi tempore, Ordo non praecepit unum alteri Doctorem praeferri. Quare idem ius omnibus vindicamus. Sufficit ut Magister sit vere catholicus ut eum sequi omnibus liceat. Quapropter ne Scotus noster a scholis excludatur petimus, his freti argumentis quod Summi Pontifices quandoque, imo saepius, doctrinam eius approbarunt, uti nunc demonstrare intendimus.

Imprimis igitur mentio fiat de opinione Sixti IV quoad doctrinam Scoti. Ne tamen aliquis dicat hunc Pontificem fuisse ex Ordine Minorum ideoque non mirandum eum texisse Scoti elogium! Haec obiectio flocci valet, quia, uti iam diximus, nullo modo Sixtus tenebatur sequi Scotum, sed

---

[1] *Manuale Historiae Ordinis Fratrum Minorum*, Friburgi Brisg. 1909, 500 sq.; D. Faccin, *Dissertatio de studio Bonaventuriano*, Quaracchi 1902, 60.

potuisset esse Thomista aut Bonaventurianus, prout ei libuisset. Neque opinio eius scientifica neque magisterium eius ecclesiasticum diminuitur ex eo quod filius fuit humilis Francisci. Auctoritas Francisci de Savona, postea Sixti IV, ab omnibus agnita fuit. Doctor philosophiae et S. Theologiae fuit in Universitate Patavina, dein Magister ita quaesitus, « ut multi praestantes viri, quidam etiam ex ipsa usque Graecia interessent » [1]. Bononiae quoque, Paviae, Senis, Florentiae et Perusii auditorium permagnum alliciebat, uti testantur Ioannes Argiropulos et Franciscus Arlati. Imo, in Italia dicunt non fuisse doctum quin audisset Franciscum Della Rovere (Sixtum IV).

Iacobus Textor, O. F. M., praeceptor Francisci de Savona, — sic dicti quia nati Abbizolae prope Savonam — testatur eum in praelectionibus sequi Doctorem Subtilem, allegat « expositionem Magistri Francisci de Savona » de distinctione formali in opere suo inedito de Commentario abbreviato Francisci de Mayronis (Cod. Assis. 265).

Codices vaticani latini 884, 886, 888 et 891 continent Scoti commentaria in Sententias et illa Francisci Mayronis, Scoti discipuli. Donavit eos Franciscus de Rovere nepoti suo Petro et

[1] Naldo Naldi, *Oratio ad Sixtum IV* apud L. Pastor, Geschichte der Päpste, II (Freiburg i. Br. 1894) 433.

in fine Cod. 888 notavit manu propria: « hunc librum (*Sent.* IV Scoti), quem ex elemosinis amicorum meorum feci scribi, donavi nepoti meo fratri Petro de Ruere de Saona, ut in posterum oret Deum pro me ac valeat ad culmen theologie habilius pervenire » [1]. Ideoque ut medium perveniendi ad culmen Theologiae Sixtus considerat doctrinam Scoti.

Anno 1462 P. Franciscus defendit thesim in praesentia Papae Pii II, a multis Scotistis tunc propugnatam, scil. Pretiosissimum Sanguinem Christi in passione effusum, durante triduo post mortem, non unitum fuisse divinitati Domini. Quam opinionem adhuc Cardinalis sustinebat, praesertim in libro *De Sanguine Christi*, ubi [2] de Scoto hoc texuit elogium: « THEOLOGICA ADEO SUBTILITER ET BENE TRACTAVIT UT NIHIL ERRONEUM, NUNQUAM, IN SUIS SCRIPTIS FUERIT COMPERTUM ». Quod opus Papae Paulo II dedicatum fuit.

Praedilectionem suam erga doctrinam scotisticam ostendit Franciscus de Rovere praesertim in conatibus suis, ut Scoti thesis de Immaculata Conceptione ab omnibus acciperetur. Anno igitur 1471 publici iuris fecit Romae

---

(1) *Archivum Franc. Hist.* 4 (1911) 181.

(2) Romae 1472. fol. 58r. (Hain 14796). Annis 1473 et 1474 Norimbergae aliae editiones prodierunt cum suo tractatu *De potentiis Dei.*

tractatum suum *De Conceptione B. Virginis contra errores cuiusdam Carmelitae Bononiensis* (Hain 14799). Approbavit et imprimi ordinavit Officium de Immaculata Conceptione a Bernardino de Busti compositum, in quo Scotus laudatur « doctor eximius » et propter defensionem Immaculatae « Doctor Subtilis » (1). Solemniter Scoti sententia de Conceptione Immaculata B. M. V. approbata fuit per breve *Cum praecelsa* diei 29 aprilis 1476 et iterum per illud *Grave nimis* diei 4 sept. 1483.

Addimus tandem Sixtum IV valde favisse neoplatonico Marsilio Ficino († 1499), studiis de Platone, Pseudo-Dionysio et S. Augustino celebri. Ex quo conicere possumus Franciscum de Rovere post suam in Pontificatum Romanum elevationem non mutasse consuetudines, uti iam insinuavit Dr. L. Pastor, imo neque opinionem illam franciscanam quae mentalitatem augustinianam aliis libenter praeferat.

Mentio quoque fiat de Summo Pontifice Adriano VI, Ultraiectensi, iam rectore magnifico et cancellario Universitatis Lovaniensis, cuius opus *Quaestiones in Quartum Sententiarum* octo editionibus divulgatum est. Tractat ibi de quibusdam quaestionibus iuridico-moralibus quoad doctrinam de Sacramentis specialem. Scholam franciscanam magni habet, praesertim

(1) *Acta Ord.*, 23 (1904) 401 sqq.

S. Bonaventuram, quem sequitur v. g. in quaestione de frequenti S. Communione [1], sed non minus laudat Alexandrum Halensem, Richardum de Mediavilla et Duns Scotum.

Alius Romanus Pontifex Scholae Franciscanae addictus fuit Sixtus V, antea vocatus Felix Peretti de Montalto, O. M. C. Praedicator famosus defensor praerogativae Immaculatae Conceptionis exstitit, uti patet v. g. in sua *Predica dell' Immacolata Concezione di Maria Vergine* [2]. Secundum plures auctores [3] Felix fuit scotista non solum ante, sed etiam post suam electionem in Christi Vicarium. Testimonium eius tanto est pretiosius quanto plus fecit pro honore S. Bonaventurae, quem titulo Doctoris Ecclesiae decoravit [4], et in cuius honorem

[1] Cf. Adrianus VI, *Quaest. in Quartum Sent.*, Lugduni 1547, fol. 60sqq. et noster art. *Paus Adriaan VI over de veelvuldige H. Communie,* in *De Katholiek,* 164 (1923) 137-145.

[2] Napoli 1588. Cf. P. Franchini, *Scrittori Francescani conventuali,* Modena 1693, 189; P. C. Tempesti, *Storia della vita e delle geste di Sisto Quinto,* Roma 1866, 39.

[3] Cf. M. Ferchius, *Apologiae pro Ioanne Duns Scoto libri tres,* I (Bononiae 1620) 24; Ildephonsus Briceño, episc. Nicarag., in *Mappa Subtilis,* Romae 1906, 378.

[4] Per bullam *Triumphantis Hierusalem* (*Opera omnia S. Bonav.,* I, p. XLV sqq.), ubi i. a. haec de doctrina Seraphici Doctoris leguntur: « Denique movet nos Ecclesiae universalis utilitas, quae ex tanti Doctoris eruditione semper maior et uberior capi potest, praesertim

instituit Romae Collegium apud basilicam XII Apostolorum.

Libenter Sixtus V acceptavit dedicationes operum de Scoti doctrina agentium. Sic Cardinalis Constantius Sarnano obtulit Papae opus suum *Conciliatio dilucida omnium controversiarum quae in doctrina duorum summorum theologorum S. Thomae et subtilis Ioannis Scoti passim leguntur*(1). Idem Cardinalis Sixto V obtulit opus P. Francisci Lychet, *Commentaria in Librum Oxoniensem* (Sent. I, II et III) et *Quodlibeta Scoti*, Venetiis 1588 edita. Quorum editor Franciscus Ziletto venetus dedicavit Pontifici opus theologi insignis Pelbarti de Temesvar (Hungaria), qui iuxta PP. Editores S. Bonaventurae

---

cum haereticorum insidiae et diabolicae machinationes, quibus S. Theologiam, quae Scholastica appellatur, hoc luctuoso saeculo oppugnant vehementissime, nos magnopere admoneant, ut eandem Theologiam, qua nihil Ecclesiae Dei fructuosius, omni studio retineamus, illustremus, propagemus ». Loquitur dein de S. Thoma et de S. Bonaventura eodem honore dignis, « cum tam multa inter eos virtutis, sanctitatis, doctrinae, meritorem coniunctio et similitudo intercedat ». Ad quod recte observat cl. L. Marion, *Histoire de l'Eglise*, II. 2 (Paris 1918) 461: « Cette bulle subsiste toujours. Léon XIII la cite avec éloge dans celle qu'il a publiée en faveur de S. Thomas et du thomisme (*Aeterni Patris*); il ne l'a donc pas improuvée, pas plus qu'il n'a improuvée le Tiers Ordre de S. Dominique en honorant le Tiers Ordre de S. François d'une bulle d'encouragement ».

(1) Lugduni 1590; reimpressum Romae 1911.

« magis addictus est scholae Scoti quam S. Bonaventurae » (1). Cuius titulus sonat *Aureum Sacrae Theologiae rosarium in IV libros Sententiarum*, Venetiis 1588.

Momentum talium dedicationum in eo est, quod Summi Pontifices non acceptassent libros theses continentes quae non plene fidei catholicae correspondissent. Ex quo concludi liceat doctrinam scotisticam a Summis fidei Magistris consideratam fuisse ut sanam veritatique traditae consonam. Et si hoc specialiter quoad sententiam de Immaculata valet, nihilominus et pro toto scotisticae theologiae corpore. Argumentum, si vis confirmatorium, pro catholicitate Scoti doctrinae habemus etiam in hoc quod plures Scotistae ad dignitatem cardinalitiam vocati sunt. Inter quos iterum Constantium Sarnano nominamus, auctorem et editorem plurium operum scotisticorum (2). Quae fuit una ex rationibus quare ad Sacram Purpuram elevatus fuit, uti Papa Sixtus expressis dixit verbis:

(1) *Opera omnia*, I, p. LXXI.

(2) *Commentaria in universalia Scoti*, Venetiis 1576 et 1583; *In formalitates Scoti expositio cum tractatu de principio individuationis et de syllogismis conficiendis*, ib. 1576, 1583, 1585; *Quaestiones quodlibetales Scoti a Petro Tatareto commentariis illustratae*, Neapoli 1579; *Scriptum Petri Tatareti in IV Sent. librum Scoti*, Venetiis 1580. De Tatareto cf. Alexander Bertoni, *Le B. Jean Duns Scot*, Levanto 1917, 463 s.

« egregiamque ac solertem operam in pluribus Scoti et *aliorum piorum* auctorum voluminibus, impressoriae artis lubricitate depravatis, suae integritate restituendis ac doctissimis scholiis et annotationibus locupletandis et denuo in lucem edendis praestitisti, ob haec et multa alia spectatae religionis, doctrinae et industriae tuae documenta, etiam Nobis ipsis cognita et *probata*, esse poteris eidem Romanae Ecclesiae ac Nobis... plurimum utilis et multipliciter fructuosus » (1).

Aliis omissis recordemur adhuc Iosephi Angles, Valentiae in Hispania nati, praeceptoris nepotis Sixti V, qui eum, postquam theologiam in Scoti sensu docuerat Valentiae, Leridae, Compluti et Salamancae, episcopum Bosanum instituit, dein sacra Purpura exornavit (2).

Neque praetereundum videtur illud P. Hieronymi Ferrariensis, O. P., opus Sixto V dedicatum eodem quo prodiit Venetiis anno 1588, cui titulus *Repertorium locupletissimum tam librorum quam sententiarum et quodlibetarum doctoris subtilis Duns Scoti.* Nemo mirabitur hoc nobis singularem afferre laetitiam, quod etiam ex S. Dominici Ordine aliquis Scoti doctrinam promovit. Hoc etiam quodam sensu fecit Papa S. Pius V, quando per Constitutionem

(1) *Annales Ord. Min.*, XXII, 51, n. XIII, ad annum 1585.
(2) Bertoni, l. c., 468.

suam *Illa nos*, die 23 iulii 1568, haec Minoribus Conventualibus praescripsit (1):

« In maioribus Studiis regentes duas lectiones theologicas interpretentur, alteram practicam, veluti *De Sacramentis*, vel *De vita recte sancteque instituenda*, ex Magistro sententiarum ac S. Bonaventura; alteram SPECULATIVAM EX SCOTO ».

Quoad ultimum Papam ex S. Francisci filiis electum, videlicet Clementem XIV (Laurentium Ganganelli), dicendum eum ante elevationem suam in Sedem Romanam scotisticam quidem doctrinam docuisse, sed secundum sui temporis ideas non fuit admirator methodi scholasticae. Voluit nihilominus Lectorem S. Theologiae in Universitate Urbinatensi, qua in civitate natus fuit Clemens, eligendum esse ex Fratribus Minoribus Conventualibus, inter quos bene scivit Pontifex multos affuisse sequaces S. Bonaventurae et Scoti (2). Multi quoque scotistae in Universitate Salamanticensi docuerunt, cuius Summus Pontifex « praeclaros studiorum labores » (3) valde laudavit.

---

(1) *Bullarium Romanum*, (ed. Taurin.) VII, 693. Nonnisi haec et pauca alia allegat G. Oesterle de approbata Scoti schola, in *Commentarium pro Religiosis*, 6 (1925) 312.

(2) A. Theiner, *Clementis XIV Pont. Max. Epistolae et Brevia selecta*, Parisiis 1852, n. XV, p. 14.

(3) L. c., ep. XXII, p. 19; cf. *Etudes Franc.*, 34 (1922) 444 s.

Notum est quanta devotione erga Immaculatam Laurentius Ganganelli excelluerit. Saepius de hoc mysterio praedicavit, dum Collegium S. Bonaventurae de Urbe regebat [1]. Hoc Mariae festum retineri voluit, quando cum archiepiscopo Colocensi Iosepho de abolitione plurium festivitatum tractavit [2]. Non potuit quin Clemens agnosceret merita Doctoris Mariani et Subtilis. Neque influxum eius in philosophiam negavit, sed formam tantum qua S. Thomas sicut et Scotus utebantur, reprobavit [3]. Si Scotus, dixit [4], nostris temporibus vixisset, audeo dicere eum doctorem primae qualitatis futurum fuisse, quia talenta sua melius evoluta fuissent.

Laudavit aliquando Claudius Antonius Vellet, O. M. C., Clementem, quia hic ut Lector S. Theologiae invenit artem uniendi profunditatem idearum Scoti cum facilitate exponendi, claritatem linguae cum metaphysica ratiocinii [5]. Quis post tanta et talia testimonia perhiberet, Clementem

(1) Cf. *Miscell. Franc.*, 16 (1915) 41-44.

(2) Theiner, l. c., ep. CXLIV, p 161.

(3) C. Frediani, *Lettere, bolle e discorsi di Fra Lorenzo Ganganelli* (Clemente XIV), Firenze 1849, p. 103: Ad Card. Querini scribit sic i. a.: « Tommaso, l' Angelo della scuola, Scoto, il dottore sottile, crederono di doversi servire della medesima forma: e così insensibilmente questo loro metodo, avvalorato dalla *luminosissima loro reputazione* prevalse poi in tutte le università ».

(4) L. c., 459.

(5) L. c., 499.

fuisse adversarium Scoti eiusque scholae? Quin doctrinam eius, uti demonstravimus, satis existimavit, quamquam linguam et methodum non approbavit.

Ne credas tantummodo Pontifices Franciscanos acceptasse dedicationem operum ad mentem Scoti compositorum. Aliqua alia exempla proferemus; postea in appendice aliquas litteras reproducemus quibus ultimis hisce annis Summi Pontifices auctores scotisticos honorarunt.

Iam Papa Leo X benigne accepit Antonii Trombetta opus: *Tractatus de efficientia primi principii ad mentem Aristotelis*, cui adnexa fuit tractatulus seu quaestio: *An adultus non baptizatus salvari possit secundum Scoti doctrinam*, Venetiis 1513. Clemens VII item Ioannis Vigerii acceptavit *Lectura resolutissima super primum librum Sententiarum Oxoniensis Duns Scoti*, Venetiis 1527. P. Mastrius a Meldola, O. M. C., dedicavit Innocentio X *In XII libros Metaphysicorum*, tom. II, Venetiis 1647, et Alexandro VII *Disputatio Theologica in II librum Sent. Scoti*, Venetiis 1659. Eidem Pontifici Card. Brancatus de Laurea dedicavit *Commentarii in III et IV librum Scoti* tomum II, Clementi IX tomum V, Clementi X tomum VI, Innocentio vero XI tomum VII operis sui permagni octo voluminum (Romae 1653-1682). Cui ultimo duo alii libri scotisticae

indolis oblati sunt, scil. Francisci Macedo, *Collationes doctrinae S. Thomae et Scoti cum differentiis inter utrumque* (Patavii 1673 et 1680), et Theodori Gennari, episcopi Vegliensis, *Manuale Confessorum*, Patavii 1679. Alexandro VIII placuit accipere Francisci de Varesio, *Promptuarium scoticum*, Venetiis 1690, et Clementi XI *Scrutinium doctrinarum* ab Antonio Panormitano « oblatum iudicio Clementis XI » Romaeque approbatum et impressum 1709.

Plura opera de Immaculata Conceptione tractantia Romanis Pontificibus praesentata sunt, inter quae inedita P. Antonii Ulloa, O. F. M., *Epistola ad Paulum V circa definitionem mysterii Immaculatae Conceptionis* et P. Matthaei a Nativitate, *Allegatio sacra, theologica, pontificia pro definienda de fide conceptione illibata Almae Dei Genitricis Mariae.* De eodem mysterio existit P. Angeli Miranda, O. F. M., *Defensio pro Immaculata Conceptione, liber ad Urbanum VIII dedicatus*, Salamanticae 1626.

Ferrariae anno 1803 prodiit adhuc P. Ludovici Antonii de Cotignola, O. F. M., *De Immaculata Deiparae Virginis Conceptione*, tractatus Pio VII dedicatus.

De altero mysterio, Fratribus Minoribus semper carissimo, scil. de SS. Altaris Sacramento, plures scripserunt. P. Angelus Petricca, O. M. C., praesentavit Urbano VIII librum suum: *Tractatus dogmaticus de SS. Eucharistiae sacramento.*

Modestus autem Gavazzi, archiepiscopus Chietanus, scripsit *De Venerabili Eucharistiae Sacramento et Missae Sacrificio disputationes theologicae ad mentem Scoti*, ad Alexandrum VII, Romae 1656. Idem Papa statuta Universitatis Alcalensis approbavit, ubi Scotus primam cathedram occupavit (1). Ante electionem suam (7 apr. 1655) Alexander VII (Fabius Chigi) fuit nuntius apostolicus Coloniae, ubi quartae translationi reliquiarum B. Ioannis Scoti praesens fuit, anno 1642.

« Anno vero subsequente 1643, die 16 iulii », uti habet documentum (2) de hac re ab eodem Nuntio eiusque notario subscriptum, « idem illustrissimus ac reverendissimus dominus Fabius Chisius, episcopus Nerotinensis, nuntius apostolicus memoratus, dignatus est rursus accedere ad sacristiam ibique... praefata anni antecedentis sigilla inspexit, visitavit, eaque integra et intacta professus, lacerata charta et aperta cista integras, prout erant, reliquias adinvenit ». Huius autem documenti exemplar Papa Alexander VII dedit P. Francisco Harold, O. F. M. (3).

(1) Cf. E. Longpré in *Etudes Franc.*, 34 (1922) 445, nota 1; Hefele, *Der Cardinal Ximenes*, Tübingen 1851, 102; Wadding, *Annales*, VI, 128 sq.

(2) Apud J. Braun, *Das Minoritenkloster und das neue Museum zu Köln*, Köln 1862, 105.

(3) F. Harold, *Epitome Annalium Ordinis Minorum*, I (Romae 1672) 611 sqq.

Quod utique non fecisset, nisi persuasum habuisset Scotum revera sanctitate et doctrina commendabilem exstitisse.

Addimus celebres scotistas uti Wadding, Hicquey, Ponce, laborasse et opera eorum publici fecisse iuris in ipsa Urbe, circumdatos benevolentia et aestimatione Pontificum et Cardinalium, ex quibus non pauci manuscripta Scoti habebant, uti olim Sixtus V et Nicolaus V. Nostris diebus P. Fernandez Garcia Pio X obtulit suum *Mentis in Deum quotidiana elevatio duce B. Ioanne Duns Scoto,* [2] Ad Claras Aquas 1913, de quo Card. Merry del Val, die 19 iunii 1908, post primam editionem i. a. scripsit, « Sanctitatem Suam opere tuo valde esse delectatam, ideo praesertim quod et dexteritate concinnatum et ad comparandam ecclesiasticae iuventuti utilitatem idoneum repererit ». Idem auctor, publicatis duobus voluminibus Commentarii Oxoniensis (Ad Claras Aquas 1914), die 29 ianuarii 1916 litteras Card. P. Gasparri accepit, ubi Eminentia Sua i. a. dixit, « volumina pergrata scito Beatissimo Patri fuisse. Is enim est Scotus qui de rebus altissimis tam acute copioseque disputet, ut qui eius scripta legat, is plane assentiatur vere eidem sanctissimo viro sapientiam obviasse quasi matrem honorificatam ». De cetero in Appendice dabimus aliquas ex illis approbationibus.

Non possumus praeterire hoc loco quoddam documentum, cuius mentionem facit P. H. Hurter,

S. I. [1], hisce verbis: « Tantamque adeptus est [Duns Scotus] nominis auctoritatem, ut S. Congregatio Pauli V iussu declaraverit, immunem esse a censuris doctrinam Scoti edixeritque, ne quis librorum censor prohibere typis auderet, quod certo constaret ex Scoto depromptum esse ». Primus qui hoc documentum cognovisse videtur est Hugo Cavellus [2], qui anno 1620 ideoque vivo adhuc Paulo V († 1621), sic scripsit: « His addo decretum S. Congregationis Cardinalium quo mandatum est Magistro Sacri Palatii, qui ex Ordine Praedicatorum assumitur, quaecumque Scoti esse constiterit, sine ulteriori examine, libere praelo mandari sinat ».

De existentia igitur talis decreti tempore Pauli V dubitari vix potest. Quaeri nihilominus posset, ubi tale documentum inveniatur seu quis proprius textus verborum sit. Hoc et P. Bonaventura Baron, filius sororis P. Lucae Wadding, scire voluit et ideo incepit de hac re investigare. « Accedendum censui », ait Baron [3], « Eminentissimum Cardinalem Caponium, Bibliothecae Vaticanae Praefectum, qui sane humaniter annuit et auctoritate sua praestitum iri

---

(1) *Nomenclator litterarius,* IV (Oeniponte 1899) col. 369.

(2) *Vita Ioannis Duns Scoti, Doctoris Subtilis.* Anversae 1620, cap. 5 (paginae non numerantur).

(3) *Monumentum posthumae famae Io. Duns Scoto* etc., Lugduni 1668, p. LII sq. De Barone cf. G. Cleary, *Father Luke Wadding and St. Isidore's College,* Rome 1925, 88 sqq.

dixit ut biblicum illum thesaurum, tam arcte et sarto-tectum tanquam inclusam Danaen, accederem et explorarem. At enim res alio vergebat: Peti enim et quaeri debuit in aula Romanae Inquisitionis trans Tyberim, et secus aulam Vaticanam. Ibi ergo accessi tum Illustrissimum et nunc Eminentissimum Albigi tanti tribunalis Assessorem, et ipse non dispari humanitate, habito a me anni scitu (eius intellige quo immunitas illa Scoti emanavit) volumina ipsa (vasta illa) advehi atque explicari imperavit. Et factum: sed quum ventum esset ad articulum causae et paginam privilegii, duo folia deerant, forficibus clepsa, ut videbatur ».

Ne quaeras quis hoc fecerit; sufficit scire quid fecerit. Testimonium tamen Pauli V omnibus Minoribus ceterisque qui Scoto duce S. Theologiae incumbere velint nunquam e memoria recedat.

Post hoc explicitum elogium Scoti referamus quaedam implicita quae S. Sedes Doctori afferebat, approbando scilicet Constitutiones et similia quibus doctrina scotistica imponitur vel saltem commendatur.

Constitutiones, in Capitulo Interamnensi (1500) propositae, Lectoribus Ordinis praescribunt, « ut in studiis generalibus, in quibus Sententiae leguntur, in toto triennio teneantur legisse quatuor libros Sententiarum cum quaestionibus

Doctoris Subtilis aut alterius », scil. Alexandri Halensis, S. Bonaventurae, Francisci Mayronis vel Richardi de Mediavilla. Papa Alexander VI illa statuta examinari fecit a Cardinalibus Antoniotto Pallavicini et Georgio Costa, approbavitque ea die 7 aprilis 1501 per breve *Nuper attendentes* (1). Clemens vero VII ea confirmavit die 24 sept. 1524.

S. Pius V per breve *Illa Nos cura* die 23 iulii 1568 Constitutiones Conventualium approbavit, quibus duo regentes instituuntur, unus qui exponat Lombardum aut S. Bonaventuram, alter qui theologiam doceat speculativam secundum doctrinam B. Ioannis Duns Scoti (2). Unde recte scribit P. Ph. Faber, O. M. C., in praefatione sui libri, *Disputationes theologicae*, Venetiis 1629: « Ex quo tanti Pontificis decreto obstruitur os obloquentium in doctrinam Scoti quod sit periculosa et a recta doctrina et sana avertens homines; huiusmodi enim maledicta in tantum Pontificem redundant qui Doctorem male olentem Religioni insigni pro Magistro et Doctore assignasset et propugnasset ».

Anno 1593 Capitulum Vallisoletanum hoc edidit statutum (3): « Universis Studiorum Lectoribus praecipimus, ut litteram Scoti solum et non

(1) *Chronologia hist.-legalis*, I (Neapoli 1650) 163.
(2) *Bull. Rom.*, VII, 691.
(3) *Chronologia*, l. c., 401.

alios Auctores, ex professo explicare conentur. Logicae et Philosophiae Lectores eos Auctores interpretandos suscipiant, quos ad doctrinam Scoti et commodiores et aptiores esse cognoverint. Lectores vero Theologi, quatuor annorum spatio, cursum unum absolvere conentur; quo tempore quatuor Sententiarum Scoti libros, quoad fieri possit, interpretari curent». Per breve *Decet Romanum Pontificem* Clemens VIII has ordinationes, saltem implicite, approbavit die 26 iunii 1603 (1).

Non minus quinque vicibus Urbanus VIII approbavit Constitutiones, quibus B. Duns Scotus proponitur Doctor Ordinis Minorum. Ecce quaedam ex multis. Excludentibus aliis Ordinibus doctores franciscanos, Fratres Minores opinati sunt eodem modo progrediendum esse et sic Capitulum Toletanum anno 1633 iussit: « Philosophiae et Theologiae Lectores irremissibiliter proprio Lectoratu priventur, si directe vel indirecte, voce vel scripto, deflexerint a Scoti doctrina. Et, ut quantum fieri poterit conservetur etiam in Ordine nostro uniformitas philosophicarum sententiarum Subtilissimi nostri Doctoris, Rmus P. Generalis Minister quamprimum committet quatuor ad minus ex Doctoribus Patribus, conficiendum artium cursum in Scoti

(1) M. Fernandez Garcia, *De vita, scriptis et doctrina B. Ioannis Duns Scoti*, Ad Claras Aquas 1910, 67.

doctrina, quem postea cursum ea lege semper sequi debebunt Philosophiae Lectores... ». Urbanus VIII has ordinationes approbavit per breve *Ad eximios*, die 31 octobris 1634. « Pro Reformatis Cismontanae Familiae Provinciis », die 22 dec. 1642, consensum dedit v. g. huic praescripto ut Lectores S. Theologiae spatio quatuor annorum legant omnes materias quae continentur quatuor Sententiarum libris Scoti, non legendo totam litteram, sed doctrinam ex ea hauriendo quam comitari possunt S. Bonaventurae vel aliorum approbatorum Scholasticorum. Lectores vero Logicae et Philosophiae teneantur spatio trium annorum complere cursum secundum bonos philosophos ordinantes eum iuxta doctrinam Scoti [1].

Franciscus Card. Barberini, delegatus a Papa Innocentio X, approbavit decretum Capituli Romani 1654), « ut in unoquoque Studio sacrae Theologiae antiquior Lector legat textum Scoti ad litteram, sine scriptis, tam in Studiis Observantium quam Reformatorum » [2].

Magni utique momenti pro re nostra est illa « *Concordia* » inter fratres provinciae S. Iacobi in Hispania Ordinis Minorum de Observantia super divisione provinciae et officiorum, quae ab Innocentio XI anno 1694 die 19 maii approbata

(1) M. Fernandez Garcia, l. c., 72 sq.
(2) L. c., 73.

fuit per breve *Debitum pastoralis* (1). Ubi i. a. sic habetur: « Quia vero, ut ipsi patres concordantes pluries audierunt, Romana Curia anxie desiderat, ut Doctoris Seraphici doctrina, quae ab omnibus ubique commendatur ut pia, solida et devota, vigeat in religione nostra, expediens iudicarunt ut *lectores tradant doctrinam ipsius Seraphici Doctoris simul cum doctrina Subtilis*, utriusque opiniones, quae ut plurimum conveniunt, ex utroque eruendo, confirmando et defendendo; ubi vero contrarii sunt et concordari nequeunt, eas problematice tradendo: sic enim brevi fiet, ut a provincia divi Iacobi derivetur in alias Hispaniae provincias doctrina seraphica cum maximo scholae nostrae splendore, sicut *ab eadem propagata est doctrina Scoti:* et ad utriusque maiorem dilucidationem Ordinisque decorem in universitatibus Salamantina, Ovetensi et Compostellana poterit minister provincialis... viros idoneos eisdem universitatibus praesentare ».

Die 2 maii 1729 Benedictus XIII per brevem *Ad pastoralis dignitatis* attribuit suam approbationem Constitutionibus Capituli Generalis, Romae iam anno 1723 habiti, cui Papa Innocentius XIII praesederat. Ibi decretum fuit imprimendam esse *Summam Theologicam* P. Hieronymi de Montefortino, quae revera prodiit

(1) *Bull. Rom.*, XX, 631. Textus qui sequitur p. 641 sq.

Romae 1728–1734 et iterum, cura P. Paolini et P. Fernandez, 1901–1903. Clemens XII, die 6 dec. 1730, per bullam *Imperscrutabilis* confirmavit statuta Publicae Scientiarum Academiae Cervariae in Catalonia a Philippo V institutae, ex quo sequentia allegari licet [1]:

Tit. VIII. *De artium et philosophiae moralis professoribus.*

« Singulis annis duo artium professores, alter pro sententia Thomistarum, pro Iesuitarum alter, et unoquoque triennio unus pro sententia Scoti, philosophiae cursum instituent, qui supervacaneis quaestionibus resecatis, optima quaeque et utilia maxime deligentes, auditores suos edocebunt ».

Tit. XI. *De theologiae professoribus.*

« Theologiae professores singulis annis sub primordia mensis maii coram scholastico et Academiae scriba pro lectionibus mox suscipiendis eos tractatus potissimum ad interpretationem Magistri Sententiarum mature deligant, quos auditoribus utiliores fore censuerint. Is vero ordo in hoc delectu servetur, ut primi sint ex gradus antiquitate tres primarii sententiae S. Thomae, Scoti et doctoris Suarez, deinde eodem ordine vespertini, tum sacrorum bibliorum et moralis theologiae professores... Scoti cathedrae praefectus praecipue caveat ne in

[1] *Bull. Rom.*, XXIII, p. 165, 170 et 172.

conficiendis ad praelectiones suas tractatibus, a mente eiusdem doctoris deflectat ».

Tit. XII. *De oppositione ad cathedras...*

« Cathedrae regularibus destinatae regio diplomate die XV aprilis anno MDCCXXIV distributae sunt ut infra: primaria theologiae cathedra divi Thomae, doctoris angelici, et una artium ex tribus Academiae pro eiusdem sententia, Ordini Sancti Dominici; primaria theologiae Ioannis Duns Scoti, doctoris subtilis, et una artium, pro eiusdem sententia, seraphico Ordini; primaria theologiae doctoris Suarez, cum uno pariter artium ex tribus Academiae pro eiusdem doctoris sententia, Societati Iesu ». « Praedicatorum et Seraphici instituti regulares ad reliquas cathedras aspirare non valeant; auditores autem saeculares, qui Scoti mentem secuti fuerint, ad petendas philosophiae et theologiae cathedras tam pro sancto Thoma, quam pro sententia Suarez admitti poterunt ».

Anno 1757 P. Clemens de Panormo, Minister Generalis Ordinis Minorum, studiorum agendorum rationem composuit cum elencho propositionum et quaestionum in schola tractandarum. Insunt huic schemati 447 theses, quas Lectores exponere debebant spatio quatuor annorum et quidem « iuxta mentem Subtilissimi Doctoris Ioannis Duns Scoti ». Commendantur quoque auctores scotistici uti Henno, Frassen, Vega et Reiffenstuel. Papa denique *Benedictus XIV*

« *magnopere probavit*, eundemque Ministrum Generalem hortandum censuit, ut opportunis quibusque rationibus, utendo facultatibus sibi competentibus, cum consilio Discretorii Generalis, saluberrimum opus urgeat et prosequatur... Contrariis quibuscumque non obstantibus[1]. Hoc statutum usque ad annum 1858 vigebat.

Item ordinatum fuit problemata quae in operibus Scoti deessent, tractanda esse secundum doctrinam Alexandri Halensis, S. Bonaventurae vel Richardi de Mediavilla, specialiter quaestiones de praedestinatione et de gratia. Idem Benedictus Papa approbavit per breve diei 15 aprilis 1758 *Iniuncti Nobis* rationem studiorum Fratrum Minorum Capuccinorum, ubi iuxta S. Bonaventuram etiam B. Ioannes Duns Scotus vel auctor cum eo conveniens commendatur. *Philosophia Scoti*, opus J. G. Boyvin post mortem auctoris Parisiis 1680 publicatum, Patribus Capuccinis nimis breve videbatur. Pro Theologia vero Morali scotista Reiffenstuel eis valde placebat.

Die 1 octobris anno 1858 S. Congregatio Episcoporum et Regularium « ex audientia Sanctissimi habita » approbavit imposuitque « *Statuta Generalia totius Ordinis Minorum pro Studiis regendis* ». Ibi legitur numero 308: « Lectorum nemini fas sit alios adoptare ac

(1) *Chronologia*, l. c., IV, 278.

explanare auctores, nisi quos cum suo Definitorio assignaverit Minister Generalis. Auctorum vera doctrina in rebus praesertim theologicis vigeat semper ad Doctoris Subtilis ac D. Bonaventurae mentem accomodata ».

Constitutiones anni 1897 approbatae fuerunt a Leone XIII. Legitur autem ibi quoad studia : « In doctrinis philosophicis et theologicis antiquae Scholae Franciscanae adhaerere studeant », quod quasi iisdem verbis habetur in *Regula et Constitutiones Generales Fratrum Minorum*, Ad Claras Aquas 1922, sub n° 277. Haec autem Constitutiones approbatae sunt die 22 augusti 1921.

Superfluum videtur observare omnia, quae Romani Pontifices de Schola Franciscana edixerunt, praecipue de doctrina Scoti intelligenda esse, qui semper cum S. Bonaventura ut Caput Scholae Franciscanae habitus est. Propterea in Appendice damus quae Pius X die 11 aprilis 1904 scripsit Ministro Generali P. Dionysio Schuler de colendis Magistris illis famosis, quem cultum, ait, « in Minoritica familia incalescentem Nos et ornandum laude et hortatione acuendum etiam putamus ».

Quis illis testimoniis pontificiis consideratis adhuc negare potest, « auctoritatem summam Ecclesiae formaliter approbasse doctrinam Beati Duns Scoti » (1)? Calumnia est doctrinam illam

(1) E. Longpré, *Etudes Franciscaines*, 34 (1922) 445.

« antichristianam » vel « periculosam » vocare, quando Summi Pontifices et multi Sancti et Beati, ab Ecclesia qua tales agniti, opus Scoti extollunt[1]). De Sanctorum testimoniis plura proferri possunt, sed satis est. Auctoritas Ecclesiae qua Scotus commendatur nobis tanti valet, ut de adversariis suis eum triumphum reportaturum magna cum fiducia speremus.

[1]) Cf. D. Scaramuzzi, O. F. M., *Il pensiero di Giovanni Duns Scoto nel mezzogiorno d' Italia.* Roma 1927, 86 sqq.

APPENDIX

Documenta pontificia ad Scholam Franciscanam spectantia.

1.

P. Bernardino a Portu Romatino Ordinis Minorum Ministro Generali.

LEO PP. XIII

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod universa Seraphici Doctoris opera de integro edenda decreveras, non mediocrem animi laetitiam percepimus; nunc vero eidem exsequendo consilio manum esse feliciter admotam magna cum voluptate intelligimus. Qui enim vix fere Pontificatu initu, nil ad oppugnandos nostrorum temporum errores fore aptius, nil ad confirmandam veritatem efficacius duximus, quam ut excellens summi Scholasticorum Magistri sapientia longe lateque fluat, atque ad id

praecipuam operum illius editionem numeris omnibus absolutam publicari iussimus, haud satis laudare propositum tuum poteramus, quo vulgatis sancti Bonaventurae scriptis catholica iuventus ad scholasticas disciplinas etiam studiosius colendas inflammaretur. — Quanta inter S. Thomam ac Seraphicum Doctorem necessitudo, quanta sanctitatis ac doctrinae similitudo intercesserit, omnibus in comperto est. Ac s. m. Sixtus V Decessor Noster verissime affirmavit eos esse « *duas olivas et duo candelabra in domo Dei lucentia, qui et caritatis pinguedine et scientiae suae luce totam Ecclesiam Dei* » collustrarent, atque eos « *singulari Dei providentia eodem tempore tamquam duas stellas exorientes ex duabus clarissimis regularium Ordinum familiis* » prodiisse « *quae ad catholicam religionem propugnandam maxime utiles, et ad omnes labores ac pericula pro orthodoxa fide subeunda paratae semper existerent* ». — Itaque oblata Nobis a te eorumdem operum volumina veluti totius editionis primitias libentissime Nos accepisse testatum volumus, magnique apud Nos haberi labores, quos vel ab anno MDCCCLXX religiosi tui Ordinis viri, in Collegium Sancti Bonaventurae coacti, pertulerunt, ut tanti ponderis opus, auctoritate tua illis commissum, accurate perficerent. Nec plane Fidelis a Fanna sodalis tui Ordinis, hominis scientia ac pietate spectati laus

praetermittenda est; qui conquisitis undique per totam Europam codicibus et ad criticae artis regulas diligentissime exactis longo decem annorum spatio certissima editioni curandae monumenta comparavit: quo e vivis sublato, consodalem Ignatium Jeiler eidem suffectum pari studio iisdemque consiliis in re eiusmodi gerenda modo versari agnovimus. — Nec vero tantum prudens in rerum singularum delectu iudicium, sed et accuratae textus emendationes, atque optima literarum forma in primis commendanda est. Maxime autem placuit propositum, opportunas animadversiones seu scholia singulis libris adiiciendi, ut ea doctrinarum harmonia manifeste appareat, qua praecellentes illas duorum Doctorum mentes instructas fuisse ante diximus. Ex quo exploratum etiam est clarissimos hosce scholasticarum disciplinarum adsertores peracri ingenio, assiduo studio, magnis laboribus atque vigiliis pretiosum doctrinae thesaurum a sapientibus superiorum saeculorum, potissimum vero a SS. Ecclesiae Patribus, congregatum, multisque modis cumulate auctum, posteris tradidisse. — Quapropter nullo modo dubitandum, quin catholici praesertim iuvenes in spem Ecclesiae succrescentes, qui ad philosophica ac theologica studia secundum Aquinatis doctrinam sectanda se conferunt, perlegendis S. Bonaventurae operibus plurimam utilitatem sint hausturi, atque ex amborum scriptis,

quasi ex praecipuis armamentariis, gladios ac tela sumant quibus in teterrimo bello adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem commoto hostes superare strenue queant. — Haec itaque, quae scripsimus, et tibi, dilecte fili, et sodalibus tui Ordinis Collegio S. Bonaventurae addictis solatio atque incitamento sint ut incoeptum opus alacriter absolvere pergant. Praecipuae vero dilectionis Nostrae testem ac caelestium munerum auspicem, Apostolicam benedictionem tibi atque ipsis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIII Decembris anno MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.

LEO PP. XIII.

2.

SECRÉTARIAT D'ÉTAT
DE SA SAINTETÉ

N°. 2527.

Rome, le 5 Décembre 1903.

RÉVÉREND PÈRE,

On a remis entre les vénérables mains du Saint Père le volume publié par votre Paternité, et ayant pour titre: « *Pourquoi Jesus Christ?* » Sa Sainteté a agréé cet hommage, et en parcourant quelques pages de ce volume, a noté avec plaisir les jugements autorisés qui

ont été émis sur l'utilité de l'œuvre même. Par ordre de Sa Sainteté, je remercie votre Paternité de son hommage, et je vous transmets la Bénédiction Apostolique que Sa Sainteté vous a donnée de tout son cœur.

Dans cette circonstance, il m'est agréable de me dire, avec les sentiments d'estime distinguée,

De votre Paternité

Le très affectionné dans le Seigneur

GIACOMO DELLA CHIESA

Substitut du Secrétariat d'État de Sa Sainteté.

Au R. P. DÉODAT MARIE de Basly, O. F. M.

3.

Rome, 3 Septembre 1904.

TRÈS RÉVÉREND PÈRE,

Dans l'année qui a été consacrée d'une manière particulière à la Vierge Immaculée, il était bien juste d'évoquer la mémoire de celui qui a contribué efficacement à promouvoir la dévotion envers ce profond mystère. C'est pourquoi le Saint Père a accueilli avec des signes de vive complaisance l'ouvrage, que votre Paternité très Révérende vient de publier pour illustrer les écrits du Docteur Subtil, qui a consacré toutes les forces de son âme à la gloire de la Vierge, Mère de Dieu.

C'est pourquoi tandis que l'Auguste Pontife

fait des vœux pour les succès des travaux que vous avez entrepris, il vous envoie avec profonde effusion, à vous et à vos Religieux, la Bénédiction Apostolique.

Pour ma part, j'agrée de grand cœur l'exemplaire que vous m'avez offert, et je profite de cette heureuse circonstance pour vous déclarer mes sentiments de sincère estime.

Le très affectionné en Notre Seigneur

Card. MERRY DEL VAL.

Au T. R. P. CHÉRUBIN DE CARCAGENTE
Supérieur de la Résidence des Capucins de Valence.

La Bonne Parole, année 1904, décembre, Le Havre. Supplementum, sine indicatione pag.

4.

Dilecto filio Dionysio Schuler
Ordinis Minorum Ministro Generali.

PIUS PP. X

DILECTI FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Doctoris Seraphici sapientiam, Ecclesiae Catholicae non minus quam Franciscalis familiae immortale lumen, optimo sane consilio sodales Ordinis tui suscepere refovendam, cum abhinc non paucis annis opera eius, quae extarent, omnia rursus edere, congruenter eruditione horum temporum, aggressi sunt. Cuius quidem magni laboriosique incoepti, uti Decessor noster fel. rec. Leo XIII, primitias progressiones

admodum probavit, ita Nos felicem exitum, integra voluminum accepta dono serie, vehementer gratulamur. Id autem non vestra solum causa facimus, sed communi.

Etenim Bonaventuram, utpote non suo dumtaxat saeculo, sed omni posteritati, quemadmodum caeteros summos Ecclesiae Doctores, datum divinitus, egregie prodesse huic etiam aetati posse arbitramur, si, quod sperare post vestros labores licet, multo plures invenerit studiosos sui. Eo magis quod is princeps Scholasticorum alter extitit cum Aquinate, cuius in Philosophia ac Theologia disciplinam Nos, Decessorem secuti, magnopere commendandam, datis proxime ad Urbanam S. Thomae Academiam litteris, censuimus. Sed praecipuos ex hac editione fructus doctrinae fore ut alumni tui scripta S. Bonaventurae pervolvendo percipiant, non modo confidimus, certum habemus. Novimus enim in tuo Ordine, una cum amore nobilium Magistrorum, qui Franciscanam Scholam medio maxime aevo illustrarunt, doctrinarum studia, ad rationem namque exacta quam requirunt tempora, dudum reviviscere in spem dignitatis coepisse.

Quo in genere duo, honoris causa, collegia nominamus: Antonianum in Urbe, ubi delectorum ex universo Ordine alumnorum flos ad magisteria gravioraque munia rite educitur, et S. Bonaventurae Collegium ad Claras Aquas,

unde ipsius Seraphici Doctoris, typis impressa, prodiere nuper Opera, itemque alios Minorum auctores de integro vulgatum iri intelligimus. — Omnino istum studiorum optimum cultum in Minoritica familia incalescentem, Nos et ornandum laude, et hortatione acuendum etiam putamus. Si quidem praeter artes exercitationesque virtutum quae ad conformandos recte spiritus pertinent, nihil est quod ad sacra digne exequenda officia et munera magis opus sit quam doctrina; cuius ipsa opinio, reverentiam hominum sacerdoti concilians, perfunctionem sacri ministerii facit fructuosiorem.

Restat ut de oblatis voluminibus, in quibus, aeque ac Decessor Noster, criticae artis peritiam, animadversionum opportunam copiam, ipsam elegantem formam dilaudamus, non mediocres, uti par est, agamus gratias. Votum adiicimus, ut augescente, vel extra Ordinis Franciscalis fines, S. Bonaventurae amore et studio, nulla brevi sint vobis huius editionis exemplaria reliqua.

Auspicem coelestium bonorum, ac singularis Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecti Fili, omnibus qui editionem accurarunt, Ignatio Jeiler imprimis, tum universae Minorum familiae, cui praees, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XI Aprilis anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo

PIUS PP. X.

5.

N°. 6162.

Romae die IV Iulii anno MCMIV.

Reverende Pater,

Iucundum Summo Pontifici illud sane contigit quod ex optatis Eius prosperam occasionem nacti, tu ac nonnulli Franciscalis Familiae Sodales singulare opus in lucem nuper edidistis, ut quinquagesimum celebraretis annum, quum Virgo Deipara Augustissima, ex pontificio oraculo ab omni labe immunis decreta fuit. Porro rerum gestarum historiam exponere, ex quibus Pius IX Pontifex immortalis memoriae adductus est ut dogma illud suavissimum opportune sanciret, idem fere videtur esse ac Franciscalis Ordinis decus et gloriam illustrare. A suis enim exordiis Ordo vester, ipso Francisco auctore, pietatem erga Virginem Immaculatam tamquam lac dulce combibit, eamdemque postea, Scoti Venerabilis Doctoris documenta secutus, sic fovit et auxit, ut sententiae Mariam originalis labis nesciam declarantis, vindex evaserit, ac simul dignus qui in singularem eius clientelam reciperetur.

Gratulatur itaque Augustus Pontifex librum de Virgine Immaculata a te ac Sodalibus tuis editum. Ut vero agnoscas quibus iucunditatis sensibus exemplar a te missum exceperit, coelestium

munerum auspicem Benedictionem Apostolicam Ipse amantissime impertit. Hanc prospere oblatam occasionem libenter arripio ut de exemplari, quod etiam ad me misisti, gratiam agam ac studium meum erga te proclive patefaciam, quo sum Tibi

Addictissimus
R. Card. MERRY DEL VAL.

Rev. P. PETRO PAUWELS, O. F. M. - Mechliniam.

6.

SEGRETARIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 30715.

Vaticano, die XIX Iunii 1908.

REVERENDE PATER,

Missum ad me cum humanis litteris librum, quem inscriptum « *Mentis in Deum quotidiana elevatio, duce Doctore Subtili ac Mariano B. Ioanne Duns Scoto O. F. M.* » ipse condidisti, non sum cunctatus in Beatissimi Patris manibus ponere. Illud propterea aperire Paternitati Tuae gaudeo, Sanctitatem Suam opere tuo valde esse delectatam, ideo praesertim quod et dexteritate concinnatum et ad comparandam ecclesiasticae iuventuti utilitatem idoneum repererit. Quamobrem dum plurimas tibi de obsequio gratias persolvit, vota libenter Sanctitas Sua concipit, ut qui librum sunt perlecturi profectum

spiritus hauriant ingentem: testemque animi Sui Apostolicam tibi benedictionem amanter impertit.

Occasione usus, meo etiam nomine gratias de oblato volumine praebeo, et cum ea, qua par est, existimatione me profiteor Tibi

Addictissimum

R. Card. Merry del Val.

R. P. Mariano Fernandez, O. F. M.
Romam.

7.

SEGRETARIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 13379.

Dal Vaticano die 29 Ianuarii 1916.

Admodum Reverende Pater,

Edita a te bina « *Oxoniensium Commentariorum* » volumina pergrata scito Beatissimo Patri fuisse. Is enim est Scotus, qui de rebus altissimis tam acute copioseque disputet, ut qui eius scripta legat, is plane assentiatur vere eidem sanctissimo viro *sapientiam obviasse quasi matrem honorificatam*. Ad te quod attinet, officia ac munera pietatis tuae Augustus Pontifex grato complexus est animo idemque amplissima prosecutus laude non modo bene locatos in re perutili labores sed etiam intelligens iudicium, quo celebratiora Doctoris Subtilis

opera non vulgare solum, sed et expolire ad emendatiores codices et scitius ordinare adniteris, ad commodiorem eorum usum, qui etiam subsidio Scoti doctrinae et theologicas se conferre disciplinas cupiunt.

Quo vero coeptum optimum ad felicem adducas exitum, Sanctitas Sua, coelestium auspicem adiumentorum paternaeque Suae testem benevolentiae, Apostolicam Benedictionem tibi tuaeque religiosae familiae peramanter in Domino impertitur.

Pergrata et mihi oblata perhumaniter eorundem Commentariorum volumina advenere; tibique et gratulor ex animo, et gratias ago quamplurimas, dum intimae existimationis meae sensus obtestor, me libenter professus

Paternitati Tuae addictissimum
P. Card. GASPARRI.

Religioso Viro P. MARIANO FERNANDEZ, O. F. M.
Romam.

8.

Venerabili Fratri Ludovico
Episcopo Balneoregiensi – Balneoregium.

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILIS FRATER,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Tametsi natalis dies sanctorum, quem Ecclesia celebrare consuevit, is est quo in possessionem

sempiternae vitae profecti sunt, tamen consentanea omnino est atque frugifera ipsa celebratio eius diei quo huius vitae mortalis usuram iidem acceperunt. Itaque recte vos admodum solemnem memoriam propediem acturi estis praestantissimi civis vestri, Sancti Bonaventurae, septimo exeunte saeculo ab eius ortu felicissimo; eo magis quod valde remotus est eius natalis coelestis, quem quidem paucis eorum qui sunt in praesenti videre licebit. Vix attinet plura hic dicere de tanti viri excellentia, qui cum alter renuntiatus sit cum Aquinate Princeps scholasticorum et Seraphicus Doctor, non solum mirificae sapientiae lumine sed etiam virtutum omnium christianarum laude in exemplum eluxit. Quoniam igitur ad Ecclesiam Dei universam is pertinet, libenti sane animo Nosmet ipsi eventi huius participamus laetitiae; id fore confisi ut non mediocrem fructuum copiam inde christianus populus percipiat. In hanc rem, postquam certam pecuniae vim haud ita pridem, pro facultate, destinavimus quo saecularis recordationis augeamus splendorem, nunc coelestibus Ecclesiae thesauris eandem volumus locupletatam; quandoquidem honores qui coelestibus tribuuntur eo acceptiores accidunt, uti patet, gratioresque quo maiorem parant iis qui deferunt, utilitatem. Quapropter, dum potestatem facimus dilecto nostro filio Cardinali Valfré di Bonzo, qui quidem sacris solemnioribus tum

praeerit, Benedictionem Papalem impertiendi, haec praeterea quae sequuntur concedimus: I. Indulgentiam Plenariam omnibus fidelibus, usitatis videlicet Ecclesiae conditionibus lucrandam, dummodo die XIV proximi mensis Iulii vel aliquo in solemnioribus diebus qui praecedent aut subsequentur, Cathedralem Ecclesiam inviserint; II. Indulgentiam VII annorum totidemque quadragenarum, semel in die lucrandam, iis omnibus qui in eadem sacra ad mentem Summi Pontificis oraverint. Atque auspicem divinorum munerum paternaeque benevolentiae testem, tibi, Venerabilis Frater, cunctoque clero ac populo vigilantiae tuae credito Apostolicam Benedictionem amantissime largimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XXV mensis Iunii MCMXXI, Pontificatus nostri anno septimo.

BENEDICTUS PP. XV.

9.

Dal Vaticano 24 Juille t1922.

MON RÉVÉREND PÈRE,

Le Saint Père a reçu avec bienveillance l'hommage que vous lui avez fait de votre volume sur « *Le motif de l'Incarnation et les principaux Thomistes contemporains* ».

Sa Sainteté me charge de vous exprimer ses remerciements pour ce témoignage de soumission

envers la Sainte Église et de vénération envers son Auguste Chef.

Le Souverain Pontife vous félicite d'avoir voulu, par votre travail, contribuer à chanter les gloires de Notre Seigneur Jésus-Christ, et faisant des vœux pour que la considération du motif de l'Incarnation porte toujours davantage les fidèles à l'amour plus grand du Verbe Incarné et à la plus généreuse observance des préceptes, qu'il nous a donnés à accomplir sur la terre, vous envoie de cœur, en gage des faveurs célestes, sa Bénédiction paternelle.

Veuillez agréer, mon Révérend Père, l'assurance de mon entier dévouement en Notre-Seigneur

P. C. GASPARRI.

Au R. P. CHRYSOSTOME, O. F. M.

Acta Ord. Minorum, an. XLI, 1922, Ad Claras Aquas, fasc. XI, Nov. 1922, p. 280.

10.

SEGRETARIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

N°. 15926.

Dal Vaticano, 26 Marzo 1923.

REV.MO PADRE,

Ho il piacere di significarle che il Santo Padre ha avuto assai caro ed accetto l'omaggio

da Lei umigliato Gli del suo libro « *Vita del Beato Duns Scoto* ».

Nell' esprimerle il sovrano gradimento di Sua Santità per questo devoto e riverente pensiero, sono anche lieto di poterle aggiungere che la stessa Santità Sua ha mostrato di compiacersi vivamente dei suoi santi intendimenti e dei non pochi nè piccoli pregi del suo lavoro.

Ad attestarle pertanto con più prezioso segno i sentimenti di questa Sua benevola compiacenza e del Suo paterno animo, l' Augusto Pontefice Le invia di tutto cuore l' Apostolica Benedizione.

Ed io valendomi del favorevole incontro godo raffermarmi con distinta e sincera stima

Di V. P. Rev.ma

Aff.mo nel Signore
P. C. GASPARRI.

P. Egidio M. Giusto O. F. M. *Vita del B. Giovanni Duns Scoto, Dottore Sottile e Mariano,* S. Maria degli Angeli (Assisi) 1921.

11.

SEGRETARIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 28 mai 1925.

MON RÉVÉREND PÈRE,

Le Saint-Père a daigné agréer avec une particulière bienveillance l'hommage des directeur et écrivains de la Revue « *Les Etudes*

Franciscaines », à propos du vingt-cinquième anniversaire de ce périodique.

Sa Sainteté vous félicite du zèle et de la piété filiale avec lesquels vous vous appliquez par des travaux pleins d'erudition, à scruter l'histoire de l'Ordre Séraphique et à faire connaître les œuvres doctrinales des plus illustres docteurs de l'école franciscaine.

Il est très agréable au Souverain Pontife de voir se développer toujours davantage les recherches sur les philosophes et les théologiens de l'époque médiévale, si féconde en maîtres éminents, parmi lesquels les fils du Patriarche d'Assise tiennent une large place. De telles études, grâce à la fidélité dont vous faites profession aux directions du Saint Siège, spécialement en ce qui concerne l'enseignement du Docteur commun, Saint Thomas d'Aquin, seront très profitables au progrès des sciences sacrées. Comme gage des faveurs célestes, le Souverain Pontife vous accorde, ainsi qu'à vos collaborateurs et aux lecteurs de la Revue, le bienfait de la Bénédiction Apostolique.

Veuillez agréer, mon Révérend Père, avec mes meilleurs vœux, l'assurance de mes sentiments dévoués en Notre Seigneur.

P. Card. Gasparri.

Cf. *Études Franciscaines,* Paris 1925, XXXVII, p. 226. — *La bénédiction du Saint-Père*, ibid. p. 226-228, par le P. Jean de Dieu.

12.

Lettre de S. E. le Cardinal Giorgi.

Révérend Père,

Je vous remercie de m'avoir dédié votre ouvrage « *La Philosophie du B. Duns Scot* », comme l'expression de votre filiale soumission.

En parcourant les pages de votre livre, on remarque avec satisfaction la vénération que vous portez aux maîtres de l'Ecole Franciscaine et particulièrement à S. Bonaventure et au B. Duns Scot. Cette vénération est accompagnée d'une connaissance large et profonde de la matière que vous traitez et montre bien la compétence scientifique et historique qui caractérise les Pères Franciscains du Collège de Quaracchi.

Votre ouvrage contribuera, je l'espère, à faire connaître le grand Docteur Subtil et à faire étudier ses livres avec plus d'intérêt et d'objectivité. Vous avez montré combien ses conceptions s'inspirent profondément de la doctrine catholique et d'un amour séraphique. A bon droit, vous avez maintes fois révélé en lui le disciple de S. Augustin et de S. Bonaventure. Tout le monde intellectuel aussi vous saura gré d'avoir mis en pleine lumière la philosophie de l'être si puissamment élaborée par le B. Duns

Scot et ses admirables idées sur Dieu et sa vie divine.

Aussi, Révérend Père, je me permets de vous exhorter à faire connaître le B. Duns Scot. Il est le Docteur de l'Immaculée et un des plus grands Maîtres de la Scolastique: à ce titre il est légitime de lui consacrer le meilleur de vos études.

En vous renouvelant l'expression de mes sentiments reconnaissants pour l'important travail que vous avez bien voulu m'offrir, je vous accorde volontiers la bénédiction demandée.

Rome, 14 août 1924.

O. Card. Giorgi
Protecteur O. F. M.

Au R. P. Ephrem Longpré, O. F. M.
Membre du Collège S. Bonaventure. - Quaracchi.

N. B. - In *Indice* qui sequitur, singularum paginarum numerus duobus augendus est. Ex. gr. *14* legas *16*.

INDEX PERSONARUM

Adrianus VI 14 sq.
Alanus mag. 9.
Albigi Card. 26.
Alexander VI 27.
Alexander VII (Fab. Chigi) 21. 22 sq.
Alexander VIII 22.
Alexander Halensis 10. 15. 27. 33.
Angles Ios. 18.
Antonius Panorm. 22.
Argiropulos Ioan. 12.
Arlati Fr. 12.
Augustinus S. 10. 14. 54.
Bale 4.
Barberini Fr. Card. 29.
Baron Bon. 25.
Benedictus XIII 30.
Benedictus XIV 32 sq.
Benedictus XV 48 sqq.
Bernardinus de Busti 14.
Bernardinus a Portu Rom. 37.
Bertaldus de S. Dion. 6.
Bertoni Al. 17. 18.
Bonaventura S. 10 sq. 15. 19. 27. 30. 33 sq. 37 sqq. 43 sq. 48 sqq. 54.
Bonifatius VIII 5. 6. 8.
Boyvin J. G. 33.
Brancatus de Laurea Card. 21.
Braun J. 23.
Briceño Ild. 15.
Callebaut And. 4.
Caponius Card. 25.
Cavellus Hugo 25.
Chérubin de Cargagente 42.
Chrysostome P. 50 sq.
Cleary G. 25.
Clemens VII 21. 27.
Clemens VIII 28.
Clemens IX 21.
Clemens X 21.
Clemens XI 22.
Clemens XII 31.
Clemens XIV (Ganganelli) 19 sq.

Clemens de Panormo 32.
Costa G. Card. 27.
Della Chiesa G. (Bened. XV) 41.
Déodat de Basly 40 sq.
Duns Scotus, passim.
Faber Ph. 27.
Faccin Dom. 11.
Ferchius M. 15.
Fernandez (Garcia) M. 24. 28. 31. 46 sqq.
Fidelis a Fanna 38 sq.
Franchini P. 15.
Franciscus de Varesio 22.
Frassen Cl. 32.
Frediani C. 20.
Garcia (v. Fernandez).
Gasparri P. Card. 24. 48. 52 sq.
Gavazzi Modestus 23.
Gennari Th. 22.
Giorgi O. Card. 54 sq.
Giusto Aeg. M. 51 sq.
Gratien P.
Gualterus Brug. S. 5.
Harold Fr. 23.
Hefele Card. 23.
Henno 32.
Henricus VIII 4.
Hercules papistarum (Scotus) 4.
Hicquey 24.
Hieronymus Ferrariensis 18.
Hieronymus de Montefortino 30.
Holzapfel Her. 11.
Hurter H. 24.
Iacobus Textor 12.
Innocentius X 21. 29.
Innocentius XI 21. 29.
Innocentius XIII 30.
Ioannes XXII 1.
Ioannes de Provins 7.
Iosephus archiep. Coloc. 20
Jean de Dieu P. 53.
Jeiler Ign. 39. 44.
Landry B. 1.
Leo X 21.
Leo XIII 34. 37. 42.
Lombardus Petr. 27.
Longpré E. 1. 4. 7. 23. 34. 54 sq.
Ludovicus A. de Cottignola 22.
Ludovicus ep. Balneoreg. 48 sqq.
Lychet Fr. 16.
Macedo Fr. 22.
Maria (Immac. Conc.) 13 sqq. 17. 20. 22. 41. 45.
Marion L. 16.
Marsilius Ficinus 14.
Mastrius a Meldola 21.
Matthaeus ab Aquasparta Card. 5.
Matthaeus a Nativ. 22.
Mayron Fr. 12.
Mediavilla (v. Richardus)
Merry del Val Card. 24. 42. 46 sq.
Miranda Ang. 22.

Naldi Naldo 12.
Nicolaus V 24.
Nicolaus Gorcom. S. 4.
Nogaret Guil. 6.
Oesterle G. 19.
Pallavicini A. Card. 27.
Paolini P. 31.
Pastor L. 12. 14.
Paulus II 13.
Paulus V 22. 25.
Pauwels Petr. 45sq.
Pelbart de Temesvar 16.
Petricca Aug. 22.
Petrus de Ruere (Rovere) 12sq.
Philippus Pulcher rex 4.
Philippus V rex Hisp. 31.
Pius II 13.
Pius V 18. 27.
Pius VII 22.
Pius IX 45.
Pius X 34. 42.
Pius XI 10.
Ponce 24.
Querini Card. 20.
Reiffenstuel A. 32sq.
Richardus de Mediavilla 11. 15. 27. 33.
Rovere (Della) Petrus 12sq.
Sarnano Const. Card.
Scaramuzzi D. 35.
Schuler Dion. 34. 42.
Scotus Duns, passim.
Seeberg R. 1.
Sixtus IV (Della Rovere) 11sqq.
Sixtus V (Peretti) 15sqq. 27. 38.
Suarez 31.
Tataretus Petr. 17.
Tempesti P. 15.
Textor Iac. 12.
Theiner A. 19sq.
Thomas Aq. S. 10sq. 16. 20. 31sq. 38. 49.
Trombetta A. 21.
Ulloa A. 22.
Urbanus VIII 22. 28sq.
Valfré di Bonzo Card. 49.
Vega 32.
Vellet Cl. A. 20.
Vigerius Ioan. 21.
Wadding L. 1. 23sqq.
Ximenes Fr. Card. 23.
Ziletto Fr. 16.

INDEX

I. De B. Duns Scoti erga S. Sedem reverentia. Pag. 3
II. De S. Sedis erga B. Duns Scotum benevolentia » 11
Appendix. Documenta pontificia ad Scholam Franciscanam spectantia. . . . . » 39
1. Epistola Leonis XIII de S. Bonaventura. » 39
2. Au R. P. Déodat de Basly, O. F. M. . » 42
3. Au T. R. P. Chérubin de Carcagente, O. M. Cap. . . . . » 43
4. Epistola Pii X de S. Bonaventura . . . » 44
5. R. P. Petro Pauwels, O. F. M. . . . . » 47
6. R. P. Mariano Fernandez, O. F. M. . . » 48
7. Ad eundem. . . . . » 49
8. Epistola Benedicti XV de S. Bonaventura. » 50
9. Au R. P. Chrysostome, O. F. M. . . . » 52
10. Al R. P. Egidio M. Giusto, O. F. M. . . » 53
11. Au Directeur des *Études Franciscaines* . » 54
12. Lettre du Card. Giorgi au R. P. E. Longpré, O. F. M. . . . . » 56
Index personarum . . . . . » 59

Ab.50
1945

208.5
D 923 L
26634
LAMPEN, WILLIBRORDUS, O. F. M.
AUTHOR
Joannes Duns Scotus
et
TITLE
Sancta Sedes
DATE LOANED
BORROWER'S NAME
STORAGE - CBPL
26634